

BIBLIOTECA

Marco Abad

N.º 850

N.º







# THEOLOGICÆ CONCLUSIONES

AD MENTEM ANGELICI DOCTORIS  
D. Thomæ Aquinatis concinnatæ, & ex universa  
ejusdem doctrina, ceu ex odorifero viridario flores,  
excerptæ: Quibus publicè concertaturus in  
Palæstram descendet munitus pro sua  
Wandalica Provincia

P. L. Fr. ILDEPHONSUS DE BURGOS,  
Philosophiæ Moderator in Magna, eademque Regia  
Hispalensi Domo, ubi à toto Regali, ac Militari  
Ordine Bmæ. Virginis Mariæ de Mercede Redemp-  
tionis Captivorum Capitulum Generale  
celebrandum est

CONCERTATORI PRÆSENTIAM, ET  
auxilium deferente P. Lect. Jub. Fr. Joanne de Lu-  
zena Collegii D. Laureani Mart. semel, & iterum;  
nunc vero præfata Magnæ Domus  
Studiorum Regente.

*Pridie idus Mayas Anni Domini M.DCC.LXXXVIII.*

---

Hispali: Cum approb. D. Censoris Regii, & cum licentia:  
ex Typographia D. Josephi de S. Román & Codina, in vico  
de las Armas.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
DEPARTMENT OF CHEMISTRY  
58 CHEMISTRY BUILDING  
CHICAGO, ILLINOIS 60637  
TEL: 773-936-3700

RECEIVED  
JAN 10 1964  
CHEMISTRY DEPARTMENT  
UNIVERSITY OF CHICAGO

TO: DR. J. H. GOLDSTEIN  
FROM: DR. R. M. WAYNE  
SUBJECT: [Illegible]

RE: [Illegible]  
DATE: [Illegible]  
[Illegible text]





MAGNIFICÆ DOMINÆ,  
SERENISSIMÆ PRINCIPI,  
CLARISSIMÆ TOTIUS IBERIÆ  
STELLÆ MIRO FULGORE MICANTI.  
DOMINÆ NOSTRÆ  
D.D. LUDOVICÆ DE BORBON,  
ASTURIARUM INCLYTÆ PRINCIPI  
&c. &c.  
WANDALIÆ PROVINCIA

Reg. & Milit. Ord. Bmæ. Virg. Mariæ de Mercede  
Redemptionis Captivorum summam  
fœlicitatem exoptat.

**E**Xtemporaneum videretur, Celcissima Princeps,  
quum Wandalix Toparchix alumni pro electione sui  
Generalis Magistri vota in oculo deponunt, &  
latitiam publice disputando, proferunt, Altitudinem  
tuam in Patronam nuncupare: Verum enim-  
vero

vero quod imbecillitati sexus muliebris non congruit, tibi ob Regias, quibus frueris, dotes sic consentaneum est, ut qui in Studiis suis Mæcenatem aptum quærere velint, nisi ad te confugiant, ullibi inveniunt nec Patrocinium, nec exemplum. Quippe quæ in delicato, venusto corpore plusquam virilem animum geris, Heroasque omnes prorsus superantem. Ingenium subtilitate plenum, iudicium acritudine pollens, prudentia dexteritate micans; in Studiosos homines amor ingenuus, in Sapientes verum studium, in virtuosos innata inclinatio non te modo ceu novum naturæ miraculum omnium oculis proponunt; verum etiam ceu Deam colere, & adorare compellunt. Nisi enim veritas hæc cuilibet quantumvis cæco pervia esset, nos absdubio digni redderemur, qui à sanæ mentis hominibus objurgatione carpamur, idque nobis vitio vertant, quod nostris obloquutionibus Altitudinem tuam magis offendere; quam laudare, extollere, atque applaudere assequuti simus. At certâ in securitate versamur, periculum censuræ terrificæ nequaquam facturos; immo quamvis nobis centum sint linguæ, oraque centum, numquam satis laudata judicari. Dignus enim laude tantum

ille



ille est, qui & virtutem agnoscit, & eam possidet,  
& exequitur.

Igitur extollant exteri, quas volent, laudibus  
seu Græci suas, seu Latini proprias. Heroides: mi-  
rentur Aretham, Polichratam, Theocleam Athenis  
publice disputantes, sapienter docentes, versibus  
heroicis Academiam implentes: Applaudant Leliam  
Sabinam pulchrâ oratione Populum Romanum in  
seditioe sedantem; laudent Cornificiam artis poe-  
ticæ palmam de omnium manibus auferentem: Cor-  
neliam denique Grachorum Matrem adorent Philo-  
sophiæ Cathedram Romæ moderantem; Num in  
te una Ludovica Nostrates desiderabunt, quidquid  
honoris, & gloriæ antiquitatis Matronæ nactæ fue-  
re? immo id etiam illis argumento est te cæteras an-  
teverteie, quod profundam scientiam cum verâ Pie-  
tate conjungis. Sapientia enim inter homines fami-  
nam collocat; pietas vero ad superos evchit. Tem-  
pla, Religiosorum Cætus, cultus Dei abs te nec or-  
natum, nec decorem, quibus nunc fulgent, habe-  
rent.

Et nil mirum: Regiæ stirpes, quarum stemma-  
tibus ornatae Altitudinem tuam nemo inficiatur,  
id continuo in suas propagines influunt, quò & alte-

ra meruit nomine Catholico nuncupari , altera vocabulo Christianissimo insigniri : Videlicet , quia dum Hispaniæ Peninsula unum Ferdinandum III. Galliæ vero Regna solum Ludovicum IX. inter suos Principes habeant , hoc tantum, et si cætera desint, sufficiens erit pro tam gloriosis nominibus acquirendis. Tu ergo , celsissima Princeps , utriusque Regis & sanguinem , & virtutem hæreditata es, digna plane Neptis, quam ii clarissimi Proavi non abhorreant.

Sed , ꝑ quò tendit hæc nostra incompta , atque inexplorata Oratio ? ꝑ Quò animum tuum Regium emmolliat ? Quò benigne suscipias hoc qualequale munusculum ? Quò sub tua protectione custodias Wandalicam , quam diligis , de Mercede Provinciam ? Proh error ! Læditur Modestia, Majestas offenditur , ipsaque mens refugit credere Altitudinem tuam argutiis placatum iri , elogiorumque fulcris in benevolentiam erga nos inclinandam fore. Absit à nobis assentationis specimen ; et tantum hæc accipe dicta in Gratitudinis testimonium , in obligationis argumentum , & in nostræ fœlicitatis , quanta Patrona gaudemus , aliquale indicium. Vive fœlix , & in Ævum vive , celsissima Princeps , ut familiæ Regiæ sis decor , & nostræ sis firmamentum.

*T H E-*

## THESES.

## S. I.

THEOLOGIÆ NATURÆ , EJUSQUE  
*necessitas.*

**Q**Uoniam quidem homo ad imaginem Dei factus conformis aliquando debebat esse imagini filii Dei , eòsque capax fieri oportebat divinorum cognitione , quò et actiones suas dirigere in hac vita secundum Dei beneplacitum , et in altera Deo conjungi , ipsoque frui æternaliter posset. At quæ supra nos sunt , quis investigabit ? Nisi Omnipotens dederit sensum , & miserit sapientiam de sede magnitudinis suæ , absdubio homo in via erroris , & obscuritatis ambulasset , & nunquam præparata bona diligentibus Deum assequeretur. Hinc Doctrina quædam necessaria cognoscitur quæ hominibus , dum agunt in humanis , Deum patefaciat absque erroris ulla formidine , ut sic eum cognoscant , & cognitione ducti ejus inflammentur amore , atque ipsum finaliter possidere totis viribus gestiant. Igitur Doctrinam hanc , quæ à Præceptore Angelico *Sacra* ; ab omnibus comuniter *Theologia*

*logia* appellari solet , quam à communionem Scientiarum ne avertas, nec minus cum Divina fide confundas, quantumvis eam spectes sub divisionibus vulgaribus *infusæ*, & *acquisitæ*: *Positivæ*, & *Scolastica*: *Speculativæ*, & *Moralis*: *Polemicæ*, aut *Mysticæ*; hanc, inquam, Doctrinam toti Ecclesiæ Catholicæ simpliciter ( ut aiunt ) necessariam judicamus; at non ita singulis in particulari fidelibus; quamvis valde utilis astimanda sit.

## §. II.

*LOCI, EX QUIBUS THEOLOGUS ARGUMENTA  
desumit.*

**A**Tque cum sacra Doctrina argumenta non abhorreat, sicut in quacumque materia duplici via solemus disputationem finire, ratione scilicet, & auctoritate, hoc sibi inter cæteras disciplinas nostra Theologia proprium possidet, ut id, quod auctoritatis est, primum; quod verò rationis ultimum locum obtineat. Nec tamen rationem despicit, ut eam nullatenus audiat; nec rationi ita subijcitur ut ea tantum auditâ suas firmet resolutiones. Inde varia argumentandi loca emergunt, quæ ad  
de-

decem potissime reduci possunt, in quibus ea est differentia: quod quaedam sunt quasi intrinseca, ex quibus Theologus arguit sicut ex propriis; quaedam vero sunt extrinseca, ex quibus quasi ex extraneis argumenta promuntur. Primi generis sunt Scriptura Sacra: Traditiones Divinae, & Apostolicæ: Ecclesia universalis: OEcumenica Concilia: Pontifex Romanus: Sanctorum Patrum Sententiæ: atque Theologi ipsi, inter quos alieni non sunt judicandi Pontificii Juris Periti: hujus enim Juris Doctrina quasi ex alterâ parte Theologiæ Scholasticæ respondet, & utraque velut duplex herculea Columna, & fines materiæ designat, & Theologicum substinet Ædificium. Secundi generis loca ista enumerantur: ratio videlicet naturalis, quâ per omnes scientias latissime patet: Philosophorum autoritas, in quibus adnumerare non displicet Civilis Juris Peritos: & demum historia ipsa sæculorum. At de omnibus istis singulatim infra statim dicturi sumus.

## §. III.

## THEOLOGIAE ARGUMENTATIONES PER LOCOS

*ab intrinseco.*

I.

**Q**uia autoritas divina in Scripturis Sacris manifestatur, jure optimo Sacra Scriptura ut Princeps locus Theologo pro suis argumentationibus assignatur sive ad veritates stabiliendas, sive ad contradicentium expungendas cavillationes. Ergo Verbum Dei in libris Canonicis Vet. & Nov. Testamenti contentum, Ecclesiaeque per Spiritum Sanctum, hominibus ad id munus assumptis, revelatum firmitatem, cui nefas est contradicere, insinuat. Et ubi de sensu litterali, & proprio non dubitatur, firmum semper & infallibile deducitur argumentum; sed quia alias sub una littera Scriptura plures continet sensus, & aliquando in metaphoras incidere necessesit, quas Sacra Doctrina non recusat omnino, quandoque ex sensu mystico aut metaphorico firmiter argumentabimur; quandoque non ita, tunc nempe cum certo non constat à Deo loquente methaphoram dictam fuisse; at vero dum certi sumus seu Christum, seu Spiritum Sanctum sensu mystico, seu metapho-

rico

rico usum fuisse ; quis argumentum inde firmum erui posse inficiabitur ?

II. Nec minus roboris habet verbum Dei non scriptum , sed de aure in aurem à patribus ad filios , ab Apostolis ad nos usque traditum , & conservatum : Etenim traditio seu Christi ; seu Apostolorum perpetua , universalis , ubique unanimi Ecclesiarum consensu observata firmum præbere debet argumentum Theologo tum ad Ecclesiarum consuetudines , tum ad fidei dogmata comprobanda.

III. Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem ita extulit Augustinus Pater , ut dicere non dubitaverit , se Evangelio non crediturum , nisi eum Ecclesiæ moveret autoritas , & quidem merito. Ipsa sola vera , & infallibilis est in definiendis fidei , & morum controversiis : In judicio super doctrina Librorum ad fidem spectantium : Imo & in Sanctorum Canonizatione asserenda : Quamquam an hoc ultimum sit de fide sub lite pendeat , & utrinque probabilitate non careat. Igitur ex auctoritate Ecclesiæ Catholicæ firmiter eruere Theologus certum argumentum potest.

IV. Concilia vocamus cætus , seu congregationes Prælatorum Ecclesiæ in Spiritu Sancto adunatorum ad definiendas fidei controversias , & ad reforman-

mandos mores fidelium. Horum authoritas varia juxta variam ac multiplicem, quæ in Conciliis reperitur, differentiam designari oportet. Alia enim sunt Generalia, Particularia alia, quæ etiam in Nationalia, Provincialia, Diocesana demum dissecantur. Itaque Generale Concilium, quod à Romano Pontifice congregatum fuerit, & confirmatum eâ gaudet authoritate, ut certam fidem faciat Catholicorum Dogmatum: Sin minus aut congregatio, & confirmatio à Rom. Pont. ei deficiat, quantumcumque Generalissimum ita sit, ut omnes intersint Pastores toto terrarum orbe diffusi; aut etiam tale Concilium congregetur, confirmeturque per Summi Pontificis Legatos, dum istius non accedit authoritas confirmativa, Theologus ex eo firmum argumentum sumere non valet. Id ipsum intelligas de Conciliis particularibus: Quæ si à Papa aprobentur & confirmentur, erunt prorsus infallibilia; secus vero minime: at tamen ejus authoritatis sunt semper habenda, ut eis refragare, & non acquiescere sit quam temerarium.

V. Hinc jam Summus Pontifex, verus Petri Successor, & Christi in terris Vicarius dum ex Cathedra loquitur, totique Ecclesiæ vel credenda fide divina proponit, vel ea damnat, quæ rectis moribus  
ad-



adversantur, infallibilis omnino judicandus venit, ex ejusque decisionibus sumere potest Theologus firmum argumentum pro christianis Dogmatibus confirmandis.

VI. ꝫ Ecquid igitur dicendum de illorum virorum authoritatè, quos ob eminentem scientiam, ob sanctitatem insignem, ob antiquitatem competentem ut veros Patres agnoscit, & veneratur Ecclesia? Si unanimiter consentiant in re ad fidem, & bonos mores spectante, aut in Sacræ Scripturæ explicatione ꝫ nonne Theologis præbent firmissimum, & validum argumentum? abs dubio. At dum consentio deest, vel plurium Patrum communi assertioni unus aut alter dissentit, & refragatur, sententia eorum probabilitatis metas non transgreditur; sed eò magis, aut minus probabilis evadat necesse est, quò ratio plus minusve ponderis habeat, cæteraque probabilitatis accedant argumenta.

VII. Ubi Theologi Scholastici summo ore ( ut aiunt ) docent, doctrinam aliquam ex fidei principiis deduci, non modo probabile, verum etiam firmum fundant argumentum eousque, ut illi doctrinæ refragari temeritati adscribendum, hæresique proximum judicandum sit. Id ipsum intelligas velim dic-

dictum iri, cum concors omnium Scholasticorum per totum orbem sententia est, rem aliquam ad fidem, seu christianos mores pertinere.

#### §. IV.

#### *ARGUMENTA THEOLOGICÆ EXTRINSECÆ.*

**T**Am quoad exteros Theologiæ fontes breviter sic expeditur: Quæ naturalis ratio argumenta suppeditat, infirma interdum, nonnunquam firma Theologo habenda erunt: firma videlicet, quando ex principiis certis, & evidentibus ducuntur; infirma vero, id est tantummodo probabilia, cum naturæ argumentationes incertæ, & solum ex conjecturis productæ fuere. Et quamvis Philosophorum & pure humana Doctrina nullam habeat connexionem cum fidei dogmatis, consensus tamen omnium Philosophorum Theologis non est despiciendus, quippe qui certum exhibet argumentum, hoc interim advertendo: non propterea, quia aliquid ad res philosophicas pertinens inveniatur scriptum, seu assumptum à quocumque ex Sanctis Patribus, vel etiam à plerisque, ideo ex eorum autoritate aliquam certitudinem dictum philosophicum haurire; sed tantum

id

id valere, quantum ratio allata persuadeat, adeo ut si isthæc demonstrativa fuerit, argumentum certum efficiat; sin minus tantum probabile. Demum Historicorum omnium in unum factum consensus bene præbere potest firmum argumentum Theologo; probabile vero, si iste consensus deficiat. Sed de hoc uberius Critici.

## S. V.

*THEOLOGIÆ OBJECTUM.*

CUM Theologiæ vocabulum id sonet, quod sermo, seu tractatus de Deo, rebusque divinis, quid tam consentaneum, quam huic scientiæ Deum pro objecto, seu pro subjecto adsignare? Et ne aliquis in ancipiti hæreat, dum ex Logicalibus audit objecti rationem multifariam accipi posse, ac proinde incertus maneat, sub qua objecti consideratione Deus Opt. Max. ad Theologiam pertineat, ultro fatemur, Theologum, quantumvis agat, & loquatur non de Deo modò; sed de Angelis etiam, de homine, de virtutibus, vitiis, deque aliis rebus bene multis, non idcirco omnia ista ut objectum suum æqualiter respecturum; sed Deum tantum ut primum, principale,

le, specificativum, adæquatumque objectum respicere debere; cætera verò tamquam objecta secundaria, materialia, extensiva, seu terminativa, dummodo subsint Divinæ revelationi: hinc exploditur cujusdam non infimæ notæ Theologi sententia asserentis in hæreticis reperiri veram Theologiam, ejusdemque rationis cum nostra: Etenim hæc absque delectu pronunciata judicari oportet. Sed de hoc satis.

### §. VI.

#### *DEI EXISTENTIA, ET NATURA.*

**Q**uis unquam sanæ mentis homo Deum esse audebit negare, cum tot, tamque perspicuis testimoniis ex ipsamet natura visibili desumptis quamquam à posteriori (ut cum Dialecticis loquamur) possit demonstrari? Certè plures viæ à sapientibus excogitatæ fuere ad existentiam Dei demonstrandam; at nos tantummodo eas quinque, quæ ab Ang. N. M. assumuntur sufficere, imo et inter cæteras præcipuum locum tenere, non abs re judicamus; non propterea existimantes propositionem istam *Deus est* esto perse nota sit secundum se, æque esse nobis notam. Ergo taceant Athei similisque furfuris homuncii, si  
qui

qui sunt, qui hunc errorem amplexati fuerint ex animo: etenim impossibile admitimus reperiri aliquos homines invincibili Dei ignorantia laborantes. Nec minus audiendi sunt Politheistæ, Idololatraque Pagani, adversus quos omnes ratio ipsa clamat demonstrando Deum non unum modo debere esse: verum etiam, ut Boetius loquitur, summam, & maximam unitatis arcem tenere. Similiter Deum adeo simplicem omnisque materiæ expertem intellectus agnoscit, ut neque in se habeat, neque in aliorum possit compositionem venire. Itaque summe perfectus, summe bonus, solus infinitus, immensus, omnino immutabilis, atque absoluta aternitate gaudens prædicandus est.

Jam quantum ad Dei quidditatem variæ difficultates exurgunt, variique modi Theologorum ab hac quaestione se expediendi: etquidem primo in assignando constitutivo formali non omnium est una vox, concorsque sententia. Quamvis igitur Deum physicè considerantes, cumulum omnium perfectionum, seu quæ formaliter, seuque virtualiter tantum in ipso sunt, ei pro constitutivo statuamus; tamen in consideratione metaphysica essentiæ id solummodo debet assignari, quod ipsam reddat intra

C

gra-

gradum vitæ perfectissimæ, qualis est vita intellectiva. Intelligere ergo est Deo prima, et præcipua ratio, & radix cæterarum perfectionum, atque atributorum: intelligere, inquam, actualissimum, perfectissimum, omnisque potentialitatis umbram effugiens. Deinde cum Theologis omnibus distinctionem non quidem realem entitativam, sed aliam minorem essentia Divinæ à relationibus, & atributis, vel etiam inter atributa ab invicem admittimus: At cujus generis sit, aut possit esse prædita distinctio si à nobis interroges, eam unice amplecti respondebimus, quæ distinctio rationis ratiocinatæ seu cum fundamento in re communiter nuncupatur.

## S. VII.

*VISIO DEI.*

**N**Eque hucusque dicta, neque quæ adhuc restant de Deo dicenda ullomodo inferre possunt nos propriis viribus quantalibet naturali perfectione prædictis in ejus claram cognitionem, seu visionem sicuti ipse est devenire posse; immo nulla est creatura rationalis valens in talem cognitionem

nem appetitu innato, aut elicitō efficaciter adferri. Cæterum ex hoc ne æstimet quis impossibile omnino esse Deum per essentiam ab intellectu creato clare videri: Potest equidem, & re complebitur: quoniam cum apparuerit, aiebat Joannes, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est; ast ut nobis possibilis fiat, auxilio Dei, & viribus supernaturalibus indigemus. Cave autem ne comprehensionem intelligas, quam ab Eunomio, cæterisque Anomæis assertam valide profligavit Div. Chrisostomus, & Patres ejus tempestatis non tantum pro hac vita, dum adhuc peregrinamur à Domino; verum et pro altera, ubi cum Angelis faciem Patris videamus. Et qui incontrarium sensum prædictorum Patrum verba detorquet, quasi visionem divinæ essentiæ omnino negaverint, fallitur certe; et nobiscum sentire præcipue Sanctum Chrisostomum parati sumus manifestare. Verum est nullam posse dari creaturam rationalem ita excelsam, & donis supernaturalibus abundantem, cui connaturaliter competat Deum per essentiam videre. Celebranda est igitur ejusmodi visio non oculis corporalibus, sed per elevationem intellectivæ potentiæ medio quodam lumine supernaturali creato, quod lumen gloriæ

gloriæ solet appellari, à quo tota virtus, ratioque tota agendi visionem intellectus mutuatur, & in quo ita sita est, ut intellectus ipse nec partialiter proxime virtute nativa ad hujusmodi operationem eliciendam concurrat. Similiter nulla specie creata, quæ ex parte objecti in Deo videndo se teneat, utuntur Beati videntes: hanc etenim quidditative essentiam Dei repræsentantem impossibilem judicamus; sed ipsamet Divina Essentia unitur mentibus Beatorum immediate, geritque speciei munus, quam ex parte objecti ad intellectionem Philosophi requirunt. Porro Summi Dei clara visio licet hominibus post mortalis vitæ curriculum servata dicatur, non est tamen extra Dei privilegia, quod aliquibus eximie Sanctitatis viris concessa fuerit, dum in humanis agebant, ut de Moyse, et B. Apostolo Paulo indicat D. Thomas, & de aliis alii pie probabiliterque asserunt: Quos inter omnes B. V. Maria primo in loco jure, et merito adnumerari debet. Itaque statim ac è mortalis corporis carcere evolant animæ rationales, nisi ob reatus aliquos in Purgatorio expiandos detineantur, clara Dei visione perfruuntur, quidquid in contrarium exsurgat illud mille annorum Regnum à Cerinto cum Asselclis



clis Chiliastis somnium. Quibus ne ad numeres Magnum Parentem Augustinum, Ambrosium, Bernardum, nec ipsum etiam Joannem XXII.

## S. VIII.

### SCIENTIA DEI.

**S**icut vere insipiens judicabitur, qui dixerit: Deum non esse: ita insipientior videbitur, qui neget Deum esse intelligentem, ac summe & plene sapientem. Ergo in eo est perfectissima Scientia, qua seipsum & alia cognoscit, atque comprehendit. Quæ res cum ita se habeat, non omnia intelligibilia, & scibilia aquæ pertinent ad Dei intelligentiam seu scientiam: etenim hæc Divinam Essentiam, Divinaque Attributa inclusis pariter relationibus tanquam objectum primum tantummodo respicit; cætera vero, hoc est, creaturas seu possibles, seu existentes, seu futuras cum omnibus earundem actionibus, effectibus, relationibus, habitudinibusque tangit ut objectum secundarium. Id tamen intelligas oportet, quod quamvis alia à se Deus perfectissime, & comprehensive cognoscat; ea sic non cognoscit in se ipsis tanquam in medio; sed tantum  
in

in *Essentia* sua. Et cum audis scientiam Dei, non tibi in mentem veniat ipsum discursu aliquo uti, ut rerum scientiam quodammodo capiat, sicut accidit in nobis. Ratione diversorum objectorum Dei scientia etiam patitur divisionem. Qui tantum eam scindunt in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis, nobiscum sentiunt, qui aliam quamcumque scientiam, vel ipsam vocatam *Mediam*, inutilem, & otiosam reputamus: illa enim duplici scientia Deus quodlibet ab ipso cognoscibile tangat necesse est. Nam objecta alia sunt, quæ esse habent secundum quodcumque tempus, & ista ad scientiam visionis pertinent, quæ ita nominatur, vocabulo ab actu nostræ visionis accepto, quæ solius ejus objecti est, quod esse habet extra videntem. Alia sunt objecta, quæ tantum sunt in potentia vel Dei, vel creaturæ, & horum cognitio in Deo vocatur & est simplex intelligentia. Amplius: Scientia Dei est causa rerum ut habens adjunctam ejus voluntatem, ideo creaturæ, quæ futuræ sunt, ut tales à Deo in sua essentia per Decretum de earum futuritione determinata cognoscuntur, quin ex hoc futura libera amittant de sua libertate ne punctum quidem. Nec quæ conditionata dicuntur, in alio quam in Decreto sub-

jec-

jectivè absoluto, & objective conditionato videntur: inferes : *Ergo res futuræ sunt , quia sciuntur à Deo*: non autem è contra: *Ergo res sciuntur à Deo, quia futuræ sunt.* Hoc enim falsum , illud autem verum nobis probatur.

## §. IX.

## VOLUNTAS DEI.

**S**Upposito Deum intellectum habere, nil tam naturale, & consequens, quam ipsum voluntate præditum esse: hæc enim perfectio intellectum consequitur, sicut in quocumque habente sensum sequitur, in appetitus naturalis. ( Verba audis Div. Thomæ.) At nullatenus putes voluntatem in Deo respectu sui actus primarii, & essentialis habere rationem potentiæ; sed esse actum purissimum, quo se ipsum, suamque incommutabilem bonitatem ut primum & motivum objectum attingit; & quamvis alia à Deo ad ejus etiam pertineant voluntatis objectum, hæc tamen voluntas fertur necessario tantummodo in Deum; in alia vero à Deo fertur perquam liberrime. Quæ omnia

nia cum ita sint, non propterea voluntatem divinam mutationi, aut defectibilitati obnoxiam esse judicandum est, quantumvis libera consideretur. Estne ergo libertas inconciliabilis cum immutabilitate divina? Minime gentium. At quomodo id fiat, varie à variis: nos vero eum modum ab hac difficultate expediendi opportunum amplexamur, quo dicimus: actum liberum Divinæ voluntatis esse ipsummet actum necessarium indefectibilem quoad entitatem & perfectionem intrinsecam; ut terminatum libere ad creaturas defectibilem, cujus terminationis defectus immutabilitatem divinam nullomodo lædit.

Celebris illa divisio divinæ voluntatis in antecedentem, & consequentem ab omnibus communiter probata, non eodemmodo usurpatur ab omnibus. Qui antecedentiam voluntatis Dei in eo collocant, quo eam considerant inclinam in objectum secundum se, & ab omnibus circumstantiis nudum, quibus executioni mandari debeat, consequentiam vero tunc agnoscunt, quando voluntas respicit prædictis circumstantiis vestitum, nobis arrident, quippe qui legitimam et genuinam explicationem proferunt: At vero qui aliter

ter exponunt antedictam divisionem , vel falsum quidem supponunt , vel utramque voluntatem confundunt. Igitur in vi voluntatis antecedentis Deus vult omnes homines salvari , et pariter Servator noster Jesus-Christus pro omnibus omnino hominibus redemptionem tradidit semetipsum , pro illisque mortuus fuit. Ex vi item ejusdem voluntatis præparantur à Deo omnibus , & singulis hominibus ea auxilia ad salutem , quæ sufficientia vocantur , & sunt. Nec ideo hæc antecedens voluntas æstimanda est tantum in Deo metaphorica, et non potius vera , propria , et formalis voluntas, quia non omnes salutem consequuntur æternam : etenim præfata voluntas ut conditionata considerari oportet, non ea quidem conditione quæ spectat consensum nostrum ; sed eâ quæ ordinem Divinæ Justitiæ , aributorumque manifestationem spectat. Alia voluntas , quæ consequens appellatur ita efficax est, ut effectum volitum infallibiliter inferat, etiam si addas consensus nostros liberos tam quoad substantiam , quam quoad modum. Et ideo ejus Decreta nullo modo ex se dicenda sunt indifferentia, nec minus suam efficaciam à consensu hominum haurire. Athinc non licet inferre nostram libertatem

violari, sed potius foveri, et perfici. Male ergo audiendi sunt, qui aliter de Decretis dijudicant. Sed de hoc iterum redibit Sermo.

## §. X.

*PROVIDENTIA DEI, ET PRÆDESTINATIO  
Sanctorum.*

**D**Eus noster perfectus Deus non esset, si ipsi deesset cura, et providentia de omnibus creaturis: hanc summam & ordinatissimam providentiam prædicat mirificus in creaturis repertus ordo: Providentiam, inquam, cui etiam liberi actus nostri subiciantur, quos præordinat, ac prædeterminat ita fortiter ut infallibiliter accidant, ita suaviter, ut absque præiudicio libertatis à ratione nostra deliberata proveniant. Si autem quæras in quo præcipue ratio formalis providentiæ in Deo sita sit, eam esse, audies, intellectus practici actum, actum voluntatis eligentis præsupponentem, quippe quæ est ratio rerum ordinandarum in finem. Deus ergo, quidquid effutiant, ac blatterent tum antiqui Philosophi, cum novissimi Deistæ, omnia prospicit, omnia curat, omnia denique disponit in suos fines aptan-

tanda, quin ejus derogat majestati circa minutissima, & abjectissima versari, nec ejusdem bonitati, mala tum penæ, tum culpæ, tum naturalis defectus intra ordinem summæ Providentiæ contineri. Apage itaque Casum, Fatum, Fortunam, aliaque id genus vocabula inania prorsus, quibus hujus sæculi sapientiam redolentes impii Nebulones incautos ac debiles à veritate avertere properant, si per talia Dei providentiæ cassa nullaque sentitur.

Præter hanc communem & generalem Providentiam, in Deo agnoscimus aliam particularem, quæ specialiter Prædestinatio vocatur, qua juxta Augustinum Parentem præparantur media, quibus certissime liberantur quicumque liberantur; & juxta Angelicum ea est ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ. Sic Angeli & homines prædestinantur à Deo, & ad gloriam eliguntur ab æterno, quin horum aliqua merita præceserint, quorum gratia Deus ad istam summam fœlicitatem etiam ut coronam eos elegerit. Id ipsum dic circa reprobationem malorum, quæ est altera Dei providentiæ pars, et qua homines & Angeli excluduntur à Regno, si reprobationem negativam intelligas, quæ solum exclusionem à gloria indicat, & consequenter de-

demerita antevertit; at vero si de positiva reprobatione fiat sermo, ejus non est similis ratio, etenim cum puniendi voluntatem importet, absdubio demerita præsupponit. Demum circa numerum Prædestinatorum, an reproborum excedat necne, nil firmum stabilire potest, nisi id tantummodo nempe soli Deo esse certum numerum Electorum in superna fœlicitate locandum, ut canit Ecclesia; & hoc quidem non modo ratione cognitionis, verum etiam ratione præfinitionis cujusdam.

## §. XI.

### *SANCTISSIMÆ TRINITATIS MYSTERIUM.*

**E**Cce ineffabile omnium nostræ Religionis arcanorum arcanum, quod sola fide credendum, humana ratione nullomodo investigandum, aut assequendum defendimus cum S. Thoma. At supposita fide, qua firmiter credimus unitatem Divinæ Essentiæ in tribus realiter distinctis Personis, & Trinitatem Personarum in unitate, & simplicitate Essentiæ, ex pluribus, quæ ab Angelico Doctore luculenter æquè ac subtiliter pro tanti Mysteriorum elucidatione tractantur, ista palam professuri seligimus. Primò: in Deo da-  
tur



tur Processio ad intra non quidem ut emanatio mera; sed tanquam vera actio, cujus principium quo proximatum est intellectus, & voluntas; remotum autem & radicale ipsamet essentia Divina. Vi hujusmodi Processionis una Persona ab alia originem ducit, non tanquam à causa, sed ut à principio: duas item Processiones ex eo inferimus, quia duo tantum sunt principia à quibus trahuntur, primum à quo Filius, secundum, à quo Spiritus Sanctus procedit. Inde tres Personæ numerantur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Pater principium Filii, Pater, & Filius non duo, sed unum tantum principium Spiritus Sancti: Filius in Divinis Verbum merito vocatur, ejusque processio est generatio perfectissime; hoc autem non valet dici de Spiritus Sancti Processione; quare vero hoc ita, solam sufficere rationem, quæ à N. Præcept. Ang. adfertur, existimamus.

Ulterius: in Deo ponere relationes reales necesse est, quibus unice Personæ inter se realiter distinguantur, et quibus in ratione Personæ constituentur, licet non sub expreso Relationis, sed sub implicito formæ hypostaticæ: et ita tota ratio distinctionis inter Personas Divinas à Processione unius ab alia exorditur usque adeo, ut si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, sed

sed à solo Patre , ut Græci olim fortiter ( vel melius ) contumaciter diu tenerunt , ab eo certè realiter non distingueretur. Jure igitur propter errorem Græcorum Symbolo addita fuit particula *filioque* Hanc expresse qui primi cecinerunt in Symbolo non dubium est fuisse Patres nostros conciliariter Toleti congregatos. A quibus postmodum accepisse ceteras Occidentis Ecclesias credibile omnino est. Eamque gloriam Hispanorum nec infringit, nec vero minuit , quod à Sancto Thoma, hic quæst. 36. art. 2. in resp. ad 2. verissime dicitur.

## §. XII.

### *DEUS RERUM CONDITOR.*

**N**on tantum Deo actio productiva competit ad intra , de qua supra tantillum diximus; verum etiam productio rerum in esse extra ipsum Deum. Si de rigorosa creatione loquimur , quæ est rei productio ex nihilo sui præcedente, ita ad Deum solum pertinet res creare, ut nulla aliqua creatura quantumvis nobilitata muneribus assumi possit etiam ut instrumentum creandi. Mundum in tempore à Deo fuisse productum articulus fidei est , & sola ratione naturali ejus tempora-

porale initium perspicere nequit. Quo autem anno, qua anni tempestate Mundus inceperit esse omnino obscurum, & incertum hucusque manet. Quoad dies vero, quibus Mundi machina, & quæ in ea continentur in lucem prodire, secundum quod habetur in cap. i. Geneseos, si forte quæras an veri, & naturales dies fuerint necne, quamvis affirmativa sententia verisimilior appareat, tamen quia N. D. Angelicus ob reverentiam Augustini Patris in contrariam propendentis noluit hanc Quæstionem determinare, nec nos pariter, qui non minoris reverentiæ, & amoris ergo in eundem obligati sumus.

§. XIII.

*ANGELUS, ET HOMO.*

**Q**uamquam quid quaque die à Moyse commemoratur à Deo in principio productum referre non injucundum foret, ac de rebus, quæ tunc conditæ fuerint, speciatim disputare, ut de Cœlorum natura, de Luce, de Luminaribus, de Stellis, de Animantibus ac de aliis, quia tamen hæc Provincia ad Philosophos maxime spectat, ea propter ipsis peragrandamlibenter demittimus, & de nobilioribus creaturis Angelo nem-

nempe atque homine, qua parte ad Theologos pertineant, sermonem instituemus. Et primo quidem Angelos dari, ex Scriptura, ex ratione, ex experientia demum comprobatur, quidquid ex adverso clamitent antiqui, novique Sadducæi. Angeli sunt incorporei, ab intrinseco incorruptibiles, intellectu, & voluntate, atque adeo libero arbitrio pollentes, specie diversi, immo & immutabiles intra eandem speciem atomam. A Deo creati simul cum creatura corporali in lucem prodierunt. Circa tamen eorum numerum hoc certo definimus illum infinitum non esse, quamvis magnus, ut Scriptura sæpe testatur; rationem autem hujus admirabilis multitudinis si quæris, egregiam, et firmam apud S. Thom. invenies ( 1. P. q. 50. á 3. ) illum adesis.

Etsi omnes Angeli in gratia fuerunt creati, non omnes beatitudinem fuerunt consequuti. Quidam illorum steterunt; quidam misere ceciderunt. At iste casus in primo instanti suæ creationis non evenit, in quo eorum nemo peccare potuit. Demum Angeli, qui in bono perseveraverunt, statim ac primo actu charitatis Beatitudinis meritum consequuti sunt, etiam et beatitudine perfruuntur, atque confirmantur in gratia. Similiter quò mali se à Deo aversati fuere, absque  
mora-

in ora in malo obstinati in infernum sunt detrusi. Inter Angelos invenitur mirificus ordo hierarchicus, quo fit, ut superiores assistant, et inferiores ministrent. Quorum inter ministeria haud infimum locum obtinet hominum in hac vita degentium custodia, eis bona spiritualia procurando, ab eis mala avertendo, atque adversus diabolicas insidias eos adjuvando. Ex hac adorabili Divinae Misericordiae dispositione quilibet homo, si Dominum Jesum Christum exipias, suum Angelum habet custodem destinatum: vel etiam ipse Antichristus.

Ad Hominem ab Angelis descendendo, id quod ex Scriptura constat supponi debet, Deum nempe sexta die hominem fecisse masculum et feminam. Principio ergo Adam formavit Deus ex limo terrae, et ex ejus costa dormientis Evam postmodum effecit, á quibus prodiit omne hominum genus: Absit igitur Præadamitarum male feriata imaginatio, cui nullomodo favere potest aut color Ætiopum, aut Americæ populatio. Tulit quoque Deus hominem, quem formaverat, & posuit eum in Paradiso voluptatis, loco scilicet amœno, ut in Genesi describitur. An verò etiam nunc superstes sit iste locus affirmativè resolvendum probabilius judicamus. Conditus est primus homo

E

quoad

quoad corpus, & quoad animam undique perfectus ea quidem perfectione, quanta opus erat ad suam, posterorumque vitæ secundum illum statum regimen formandam tam in naturalibus, quam circa supernaturalia: Ex quo addimus eundem justitia originali præditum, si in eo statu durasset, justitiam pariter in posteros infusurum, quamvis non confirmationem in gratia. Etiam licet ex privilegio, eodem statu durante, homo immortalitate gauderet, nihilominus cibo indigisset ad vitæ conservationem, congressuque maris, et sæminæ ad speciei propagationem.

Verum proh ! Peccavit homo fructum vetitum gustando, et à tanta felicitàte deturbatus in summam malorum incidit, quam etiam in posteros transfudit, qui omnes in Adam peccaverunt ; ob unius peccatum mors intravit in Mundum : et non tantum mors, sed etiam ignorantia, aliæque miseriæ bene multæ. Peccatum ergo primi Parentis jure vocatur originale, & formaliter consistit in privatione illius justitiæ qua parte dicit primum suum effectum, subjectionem nempe mentis perfectam ad Deum. Denique peccatum originale est causa reprobationis mordo quo à Divo Thoma explicatur.

## S. XIV.

*HOMINIS ULTIMUS FINIS.*

**C**Um juxta tritum axioma quodcumque agens propter finem agat, hoc competit maxime agentibus ex libertate. Præstituendus est igitur homini aliquis ultimus finis, in quem omnes actus suos humano procedentes modo homo ordinet seu actu seu potestate. Hoc interim advertas necesse habes, unum eundemque hominem pro eodem tempore simul duos fines ultimos totales, et adequatos respicere non posse. Quisnam ultimum hominis finem ambiget esse Deum? In cujus possessione, et consequitione stat vera, et firma ejus beatitudo: ergo Deus Unus et Trinus ita est objectum hominem beans, ut si per impossibile videretur ut unus, et non ut trinus, nulla esset hominis beatitudo. Inde toto cœlo aberrant, qui vel divitias, vel voluptates, vel simile quid objectum beatitudinis astruunt. Ad beatitudinem formalem quod attinet, in actione, seu operatione consistere negat nemo, quæ unica esse judicatur actio intellectus, qua Deum ut est in se Beatus videt, illaque Beatos sic impeccabiles reddit,  
ut

ut ad diligendum Deum ex necessitate ferantur eo usque ut ab ejus amore sese expedire nec velint, nec valeant.

§. XV.

*HOMINIS LIBERTAS.*

**H**iciam de essentia libertatis humanæ, qua actus nostri à voluntate producuntur, quibus cum ultimus finis consequitur, agendum nobis est. Atque quosdam actus nostros necessarios esse quantumvis voluntarios, extra aleam collocari debet. Quia ergo indifferentia judicii est radix, & ratio, quare voluntas libere agat, ejus libertatem essentialiter in indifferentia quam dicunt contradictionis sitam esse unice statuimus. Atque adeo non est contra, sed juxta essentiam creatura à Deo physice, & efficaciter in quocumque statu ad agendum promovetur. Indifferentia verò contrarietatis appellata per accidens tantum, & ratione status actionibus hominum competit, quæ quidem, juxta quod cum regulis rectæ rationis conformantur, vel ab ea divertunt, moralitatem acquirunt, præcipuam & specificam ex objecto, quandam ex circumstantiis, vel etiam non

ra-



raro ex fine operantis. Inde nullus actus humanus in individuo est indifferens ad bonitatem, & malitiam in genere moris; sed necessario debet esse aut moraliter bonus, aut moraliter malus.

## §. XVI.

### *VIRTUTES, ET VITIA.*

**I**Nter potentiam activam, & ejus ultimatam operationem quoddam ponamus medium necesse est, quo faciliter prompte et delectabiliter potentia in actum reducatur, hoc medium vocatur virtus, quam sic cum A. Mag. diffinimus: Bona qualitas mentis, qua recte vivimus, & qua nunquam male utimur: quamque in intellectualem, et moralem, per se adquisibilem, & per se infusam, atque Theologicam dividunt Theologi, atque subdividunt. De Theologicis infra, nunc de moralibus tantum tractare lubet. Ista in statu perfecto inter se ita conexas esse concipimus, ut qui unam habeat, ceteras possidere necessum sit. Id ipsum de moralium perse infusarum conexione cum charitate afirmamus. Præter omnes virtutes Dona Spiritus Sancti à cæteris quibuscumque virtutibus realiter distincta agnoscimus, quæ

quæ nil aliud sunt quam perfectiones altiores, secundum quas homo manet aptus ab Spiritu Sancto speciali modo moveri. E regione virtutum accipe vitia, quæ penitus esse adversa hominis naturæ nemo negabit, non tamen asseras omnium vitiorum necessariam connexionem.

## §. XVII.

### PECCATA.

**D**Um actio humana ad regulas morum conformis non evadit, peccati rationem induit, igitur recte peccatum communiter sic diffinitur: Dictum, factum, aut concupitum contra legem Dei æternam. Et quia in lege aliæ actiones præcipiuntur ut fiant, aliæ prohibentur ne fiant, hinc divisio peccati in commissionem, et omissionem exoritur. Similiter, quia aliquando graviter aliquando leviter actiones deviant à regulis morum, peccatum quandoque mortale, quandoque veniale appellandum venit. Itaque peccatum commissionis quamvis privationem debitæ rectitudinis importet, in hac præcise privatione illud formaliter non collocamus, sed in positiva tendentia ad objectum dissonum regulis morum.

Æque

Æque intelligere nequimus, quomodo sit *dabilis pura omissio voluntaria abque omni actione*, quæ sit causa illius vel occasio. Peccatum denique ut mortale sit, legisque divinæ transgressionem præferat, sufficit advertentia illa, quæ virtualis, seu in causa vocari solet, maxime in rebus ad proprium statum pertinentibus. Ex hoc anathemate dignum apparet peccatum Philosophicum, et ejus execrandæ consequentiæ. Quoad venialia peccata id tantummodo exponimus, ea cum solo originali esse non posse.

### §. XVIII.

#### *LEGES, ET JURA.*

**P**eccati naturam perfecte conspicuam Theologus non haberet, nisi de legibus aliquantulam notitiam adipisceretur. Peccatum (ajebat Paulus) non cognovi nisi per legem. Hoc interea prænotato, hæc vocabula. *Lex, jus, statutum, constitutio*, pro eodem usurpari, solumque penes propriam uniuscujusque vocis explicationem differre. Igitur *lex* quantum ad substantiam primo, et perse in actu intellectus stat, licet connotet, aut presupponat actum voluntatis. *Lex* à puro præcepto diversificatur in hoc, quod

quod exposcat necessario ut sit in bonum commune lata, pro tota communitate, et quadam perpetuitate gaudeat. Quod vero aliqua lex homini pro quocumque statu necessaria fuerit ita compertum est, ut nemo non norit. Cum ergo lex maximè dicatur à ligando, pone, legem nullam obligationem in subditos importare, seu eos ab obligatione absolvere, & legem vere non esse statim conspicies. Sed quis alios ligare poterit nisi Superior? Ergo non Deum modo, verum & homines in homines jus, & potestatem Leges condendi habere, ab omni dubio est procul: Quæ quidem Leges quamvis aliqualem promulgationem expectent, ut actu obligent subditos, eorum tamen consensum non exquirunt, ab eoque sunt totaliter independentes. Porro quod lex humana (de Divina non est dubium) subditos in conscientia obligare eoque possit, ut qui ei parere despiciat, apud Deum etiam Theologicæ culpæ reus inveniatur, pro comperto habendum est.

Et ne plura, quæ in hac materia adferri poterant, pluries repetere cogamur, accipe decem & octo subjectas propositiones, quæ à supremo Castellæ Senatu tanquam bonorum morum eversivæ, Majestati injuriosæ, erroris, temeritatis, æque ac respecti-

pective falsitatis notatæ sunt, quas easdem pariter & nos damnare, & è regione, totis quibus possu mus nisibus, pugnare parati sumus; eæ sunt thencris sequentis.

I. Nec Pontifex, seu Episcopus, aut quilibet alius homo in hominem jus habet (si iste Christianus sit) vel ei fit quomodo cumque superior, nisi is consentiat; & quod aliter fit, spiritu vere tyranico fit.

II. In supremo Principe, seu Rege, seu perfecta Repub. minime residet potestas Leges Civiles condendi, Populos, aut subditos obligantes in foro conscientia, non expectato Populorum, aut subditorum libero consensu.

III. Leges quibus tributa personalia, & realia à supremo Principe imponuntur seu super exteras merces, seu super proprias, aut etiam super quoscumque fructus, sunt omnino pœnales, & nullomodo obligantes ex justitia commutativa in foro conscientia.

IV. Introductores, seu Extractores fraudulentè (vulgo Contravandistas) mercium, aut fructuum à Principe prohibitorum, vel etiamsi prohibiti non sint, reuentes in introductione, aut extractione solvere tributa, quibus sunt gravati, tantum obligantur ad pœnam, si à ministris deteguntur; mini-

me vero Theologicam culpam committunt, & consequenter restitutioni non fiunt obnoxii.

V. Id ipsum dicendam de iis, qui in Provincias, seu Civitates ejusdem Regni occulte introducunt fructus eo fine ut tributa, & vectigalia non solvant, quibus à lege gravati sunt.

VI. Idem (Contravandistas) obligati non sunt ad manifestandas merces, seu fructus absolute prohibitos, vel etiam quibus jagum vectigale in introitu ad Regna, Provincias, aut Civitates imponitur; quia nemo tenetur se ipsum prodere.

VII. Consuetudo, seu intentio Principis eosdem à culpa theologica liberat, pariterque ab obligatione restituendi tributa non soluta, damnaque reparandi, maxime si aliquod tempus interceserit, quo ab Administratoribus, seu Regiis Ministris tributa non exiguntur.

VIII. Administratores, cæterique, quibus Cura administrandi, colligendi, exigendique tributa, seu census super mercibus aut fructibus imposita à Principe, seu Populis demandata est, culpam Theologicam minime committunt causa permissionis, voluntariæque omissionis in introductione, vel extractione generum prohibitorum, et similium, vectigali non soluto.

Ne-

Neque etiam obligantur in conscientia foro ad damna restituenda, quæ respectivè passi sunt tum Princeps, tum Populi, casu quo ab Introducitoribus prædicta damna reparata non sint, quantumvis hoc certo constet.

IX. Isti quoque minimè obligantur in eodem foro ad restituenda munera, quæ à defraudantibus regia tributa ob permissionem, aut dissimulationem fraudis acceperunt.

X. Neque inobedientia culpam committunt committendo, vel dissimulando introductionem, extractionemve rerum absolutè prohibitarum; neque obligationem damna ex ejusmodi conniventia causata restituendi, aut etiam munera, quæ ratione talis conniventia receperunt, incurrunt.

XI. Ementes merces, seu fructus, dum certo sciunt vectigalia Principi non esse soluta, neque obligantur ad ea restituenda, quæ emptis mercibus respondent, neque Theologicam culpam incurrunt juxta qualitatem materiae.

XII. Nullum peccatum committitur adversus obedientiam Principi debitam, emendo, acciπendo, & consumendo merces ab eodem Principe absolute prohibitas.

XIII.

XIII. Præcipientes, consilium dantes, consentientes, occultantes, accipientes, & participantes, vel etiam à iudice interrogati non declarantes, Ministrique fraudem non manifestantes, & qui ex obligatione tenentur impediendi, & manifestandi, & non faciunt, nec peccant, nec debent restituere damna ex fraude causata casuque defraudator principalis non satisfecerit.

XIV. Docentes, approbantes, asserentes, prædicantes supradictam fraudem licitam esse, nec peccant, nec obligationem incurrunt restituendi juxta ordinem à Theologis, & utriusque Juris Peritis communiter intellectum, assignatumque casu, quo à cæteris obligatis secundum eundem ordinem restitutio facta non fuerit.

XV. Confessarii suis Pœnitentibus scienter, & consulto non advertentes obligationes prædictas, neque peccant, neque ullo casu restitutioni obligantur.

XVI. Ecclesiastici tum Sæculares, cum Regulares ratione suæ immunitatis excipiuntur à prædictis legibus observandis.

XVII. Id ipsum dicendum est de Personis alienigenis, morentur necne in Regno, seu Ditione Regis, Principis, aut Reipub. quibus infertur præjuditium.

XVIII.




XVIII. Leges pecuniariæ tantum ad pœnam obligant in foro externo, non vero in interiori eos, qui eas transgrediuntur, vel consulunt, præcipiant, approbant, conventiunt, ceterosque, qui in earundem legum transgressionem quomodolibet influunt.

§. XIX.

*VIRTUTES THEOLOGICÆ.*

Cum homo, ut superius observavimus, ordinatus, fuerit ut post hanc, vitam clara Dei visione in Patria perfruatur, dum in via graditur, necesse habet Deum super omnia, ut par est, diligere, et in ipsum sperare. At quomodo hæc fiet, nisi Deum ipsum ut supernum Authorem cognoscat? En necessitas trium Theologicarum virtutum fidei, spei, et charitatis, quibus velut triplici funiculo, qui difficile rumpitur, homo devincitur, ut in suum supernaturalem finem fœliciter possit pervenire. Eò Theologicæ jure dicuntur: eò cuicumque necessariæ sunt ut media ad salutem consequendam: Eò demum virtutes super eminent omnes. Igitur fides, quæ ab Apostolo sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium vocatur, habitus est infusus ( ut aliæ ) inclinans

nans hominem ad credenda firmiter firmitate certitudinis validissimæ omnia quæcumque á Deo revelata sint. Spes, quæ abs dubio non confundit, summam Beatitudinem auxilio Dei adjuvantis, et cooperantis obtinendam fidit. Charitas denique, quæ vera est amicitia hominem inter et Deum, ipsum super omnia diligendum determinat. Deinde fidei ita proprium est sub obscuritate suum objectum attingere, ut hac sublata, et exorta claritate, fides totaliter evacuetur. Id ipsum accidet spei cum ejus objecti arduitas cessaverit. At vero charitas, quo major fuerit hominis. Deique conjunctio, eò perfectior, firmior erit, et ardentior. Ideo nunc inanes fides, spes, charitas tria hac: major autem horum est charitas. Exinde fortasse quæres & fidei ne potest sub esse falsum? item homo cui facta fuerit revelatio de sua damnatione futura eam tenebitur adhuc sperare? Denique: Charitas inter fidem et spem majoritatem obtinet, nedum in esse moris, verum et in esse physico? Ad primam et secundam inquisitionem negativum, ad tertiam vero habe responsum affirmativum.



## S. XX.

*DEUS INCARNATUS.*

**O** Admiranda rerum materies ! Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret , ut nos à peccato liberaret , jusque ad vitam , quam infœliciter amisseramus , nobis redderet , carnem nostram iuduit pro similitudine absque peccato. At quomodo hoc possit fieri nulla evincit humana ratio. Id tamen non neges , tunc etiam humana ratio impossibile non esse persuadebit. Ergo tantum supposita revelatione Mysterium hoc à sæculis absconditum nobis valet esse notum. Itaque Filius æternus , qui secunda Sanctissimæ Triadæ Persona exitit , mundum volens adventu suo piissimo consecrare , in utero Virginis veram nostram carnem secum ipso substantialiter univit : Et qui ante omnia sæcula incommutabilis Deus est , in tempore factus est homo , non confusionem passus neque divisionem. Hac antem unio in Persona Verbi non in natura facta unitatem personæ et distinctionem naturarum sine dubio manifestat. Quin propterea abhorrere nostrum sit à quorundam Patrum loquutione , qua Christus esse persona composita dicitur :

tur: imò vero id nil difficultatis habere intelligimus etiam accepta voce *compositionis* insensu proprio.

Deinde ꝛconveniens multimode fuisse Deum incarnari quis negare audeat ? ꝛItem Filium magis quam Patrem, et Spiritum Sanctum? Quamvis uterque simul cum Filio eandem naturam, et quilibet quamlibet, et una sola Persona plures assumere potuerit. Solummodo hoc admirabili medio ex cogitato, satisfactio condigna Deo pro hominum peccato reddi potuisset, etenim hanc nemo est hominum vel Angelorum potens Deo condignam exhibere. Sic igitur satisfactio Jesu-Christi non ex se modo sufficiens fuit, verum et superabundans pro omnium hominum peccatis. Nec timeas eandem satisfactionem valoris simpliciter infiniti, et ex toto rigore Justitiæ factam laudare, non enim ita dicens à vero aberraveris. Jam ex hoc fit palam, motivum adventus Jesu-Christi servatoris. Atque cum primum Adæ peccatum fuerit, per quod moïs intra- vit in Mundum, vi præsentis providentiæ Verbum Divinum carnem non fuisse assumpturum Adam non peccante ad firmamus, quantumcumque existerent aliorum hominum peccata.



## §. XXI.

*CHRISTI GRATIA , ET EJUS MULTIPLEX  
scientia.*

**V**idimus gloriam ejus ( inquit Joannes ) quasi Unigeniti á Patre plenum gratiæ , et veritatis. Etenim Redemptor noster verus Deus, et verus homo præter ea quæ sunt Dei propria , habuit plene quidquid donorum, gratiarum, et perfectionum naturæ humanæ proportionem non ex superat, nec cum unione hypostatica impossibilitatem inducit. Et in primis eum fuisse donatum gratia habituali , quin ideo dici possit Filius Dei adoptivus , certo certius comperimus , à qua etsi sanctitatem formalem non hauserit Anima Christi ( sanctificata enim formaliter tantum intelligitur à natura Divina ) absque ea tamen nec ejus operationes evaderent meritoria , nec Christus modo connaturali eliceret opera supernaturalia : Ergo præter gratiam unicuique communiter vocatam , et gratia habitualis in Christo adtruenda est, et gratia simul capitalis , quæ in eadem habituali formaliter consistit, prout connotat gratiam unio-

nis. ; Quid igitur? ; Quorumnam Christus caput constitutus est? ; Hominumne an etiam Angelorum? Utrorumque plane, quamquam aliter. Hominum, quatenus in eos velut in membra à prima usque ad ultimam gratiam merendo influit. Angelorum autem, non quasi eis gloriam essentialem suis meritis comparaverit, sed tantum occidentalem.

Nec minus plena fuit anima Christi omnimoda gratia, quam omnimoda scientia. Habuit enim et quidem ab initio conceptionis scientiam Beatorum perfectam eò usque ut per eam nonmodo cognoverit Dei essentiam sicuti est, verum omnia præterita, præsentia, et futura secundum quodcumque tempus, simul ac ea omnia quæ in potentia creaturæ quomodolibet continentur, quamvis omnia in potentia Dei contenta non cognoverit. Habuit item scientiam per se infusam qua omnia entia supernaturalia creata, cogitationes cordium futuraque contingentia perspicere adepta est. Habuit demum Anima Christi scientiam omnem naturalem acceptam per infusionem, qua omnia objecta naturalia per species à Deo inditas intellexit. Quin tamen eidem ob hoc denegari debeat scientia naturalis propriis actibus comparata. Juxta quam simul cum atate proficisse scite advertit Sanctus Lucas. S.

## §. XXII.

*MERITUM CHRISTI.*

**P**Ræter anteriori capite dicta adhuc restat de Domini Nostri Jesu-Christi merita quidquam dicendum. Etquidem veram rationem meriti ejusdem operationibus attribui debere nemo Catholicus inficiatur. Quid autem tam sibi, quam aliis, quoque actu, quoque tempore meruerit non eadem est apud omnes vox, atque sententia. A nobis pro certo habetur quod Dominus Christus à primo instanti suæ Conceptionis ad ultimum usque instans suæ vitæ terminativum meruit per omnes quoscumque actus, immo et per ipsum actum charitatis à scientia beata regulatum. Sibi ipsi nullomodo Christus meruit (quamvis alias potuerit gloriam essentialem, aut gratiam habitualement, bene vero et corporis gloriam, et nominis exaltationem nobis (de Angelis jam dictum) non tantum omnes quoquomodo effectus prædestinationis meruit; immo vero, et ipsam prædestinationem nostram, prout est comparativa, et electio unius præ alio. Denique Christus Dominus vere meruit præceptum Patris implendo de morte sub eunda, cui meri-

merito non obstat ejus impeccabilitas intrinseca , pro quorum extremorum conciliatione planam viam sterunt veri Thomistæ.

S. XXIII.

*NOVÆ LEGIS SACRAMENTA.*

**Q**Uoniam quæ ad novæ Legis Sacramenta spectant , si omnia perscrutanda forent vastissimam Provinciam ingredi necessum erat, & temporis angustia, & brevitati consulentes paucula quædam de eisdem Sacramentis tum in genere, tum in particulari delibare statuimus. Septem in primis esse tantum in Ecclesia Christi Sacramenta eadem Ecclesia agnoscit et confitetur , videlicet Baptismus , Confirmatio , Pœnitentia , Eucharistia, Extrema-Untio, Ordo, & Matrimonium. Quorum Auctor omnium Christus immediatè per seipsum ea instituit. Signa scilicet sensibilia, quibus homines tam sunt in via gratiam mediatoris adipiscantur, habeantque sitam æternam valde diversa ista consideratur in multis à Legis Mosaicæ Sacramentis. Sed præcipua inter utraque differentia in eo sistit, quod nostra ex opere operato, antiqua vero ex opere operâtis gratia causabant. Ast sub iudice inter  
Theo-



Theologos lis pendet super causalitate Sacramentorum , an scilicet gratiam instrumentaliter physice, antantum moraliter efficiant. Sed nobis dubium non est quod Sacramenta novæ Legis sunt physica gratiæ instrumenta.

I. Baptismus , qui primu est Sacramentorum & janua , eo quippe non suscepto cætera suscipi nequeunt, in aqua naturali sub iis verbis : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*, confici debet. Cujus subjectum quicumque homo est natus , viator , seu parvulus sit , seu adultus. Cæterum si parvuli filii fuerint infidelium , non licet ex invitis parentibus baptizare.

II. Confirmatio, qua augemur in gratia , roboramur infide à Solo Episcopo jure ordinario ministrari potest. Etsi ex dispensatione quilibet Sacerdos id efficere valeat.

III. Pœnitentiæ Sacramentum eos, quo Anima hominis per peccatum Sauciata, & letali morbo affecta , ab infirmitate liberatur , et pristinam sanitatem acquirit. Id tamen consequitur media absolute Sacramentali ( suppositis aliis necessario requisitis ) à Sacro Ministro prolata hisque verbis concepta : *Ego te absolvo &c.* Quæ verba non sic accipienda sunt per

modum declarationis, sed per modum veræ, & potestativæ absolutionis.

IV. Eucharistia, miraculum à Christo inter cætera facta maximum est alimentum spirituale, verum Corpus, & Sanguinem Jesu-Christi continens sub speciebus Panis & Vini, ad animarum nutrimentum, Forma consecrationis in pane his tantum verbis completur: *Hoc est Corpus meum. In vino autem: Hic est Calix Sanguinis mei.*

V. Extrema-Untio, qua nostræ vitæ finem valide munire voluit Salvator, est verum Sacramentum, & idem quod usque nunc in usu est in Ecclesia, à Christo Domino institutum, non vero à Divo Jacobo.

VI. Ordo quo homines in Dei ministerium consecrantur, est non solum verum Christi Sacramentum, verum & hierarquia quædam, qua homo inter cæteros superiori quodam loco collocatur. Inter septem qui numerantur Ordines alii Sacri, alii non Sacri, isti minores, majores illi nuncupatur. Pro majorum dignitate adnexa fuit sacris Ministris merito et jure in Ecclesia Occidentali perpetua uxorum continentia.

VII. Matrimonium denique, quo mas & fæmina in Domino junguntur, ut ad ejus cultum fidelem prolem producant quis ambigat Sacramentum, dum  
hoc

hoc ab Apostolo audit? Est absdubio, & formaliter in mutuo utriusque conjugis consensu consistere dicendum est unde etsi Sacerdos ex dispositione Concilii Tridentini indispensabiliter dum Matrimonium celebratur interesse debeat; non tamen ut Sacramenti Minister, sed alio titulo assistens judicari oportet.

Hæc dicta sufficiant exercitii gratia litterarii. Enimvero omnia in hac materia singulatim percurrere in longum esset iter abire. Si tamen quis vel aviditate instructionis, vel nostram insuficienciam explorandi animo ductus in Palæstra deiis quæ intacta relinquitur interrogare voluerit, promodulo nostro eidem satisfacere parati sumus.

§. XXIV.

*APPENDIX APOLOGETICA.*

**D**ulcis amor Patriæ, quo non justior, & æquior ullus nos omnes compellit, ut pro virorum honore, qui non de Bœtica tantum, verum & de toto Orbe Christiano bene inveniuntur merentes, & pro veritate propugnare studeamus. Eisque vicem debitam ferentes à nebulis quibus forsitan adhuc sub obs-  
cu-


curo calculo manent, vindicemus. Primo se offert, Osius Episcopus Cordubensis, quem Sanctus Athanasius vocare non dubitavit Magnum Osium, Populorum Patrem, Magistrum fidei, Episcoporum & Conciliorum Parentem, Senem Abrahamicum & vere Osium, id est Sanctum. Hic ergo gloriosus Christi Confessor, Ornamentum Hispaniæ, & decus ob fidei constantia ab inconstanti Constantio varie exagittatus, ac crudeliter persecutus non solum ea, dum vixit, perpressus fuit, quæ ab infensissimis Arianis mala seni ipsi venerabili intulerunt; verum etiam nunc ab aliquibus Catholicis ejus famæ, & memoriæ non consulitur, minusque, quam par est, de magni Osii obitu favorabiliter judicatur. Sunt igitur, qui non tantum clarissimum Virum, & communicasse cum Ursacio, & Valente Arianis, & secundæ formulæ Sirmiensi subscripsisse affirmant, verum etiam in ultimo vitæ discrimine precibus Beati Gregorii Illiberitani Episcopi, quem ipse Osius jamjam condemnare decreverat, in ipsa Urbe Corduba repentino morbo correptum justo Dei judicio extremum diem obiisse. Quo fit ut tanti Viri Sanctitas sub problema-  
te relinquatur. Verum absit ut putidam fabellam à Luciferianis subdole confictam Osii gloriæ efficere pa-  
tia-


tiamur. Ergo communicationem Osii cum Ursacio, & Valente ob vim, & ætatis grandævæ imbecillitatem non diffitemur. Ejus vero subscriptionem Sirmiensi formulæ omnino negamus, simul ac ea, quæ de ejusdem tragica morte proferuntur, ad fabularum regionem amandamus.

Deinde ex epistola 50. & sequentibus Sancti Gregorii Magni constat depositio Januarii Episcopi Malacitani, & Stephani item Episcopi, cujus sedes taceatur, à quibusdam Hispaniæ Episcopis conciliariter facta. Quæ cum ad Apostolicam Sedem delata esset, & uterque apud Sanctum Gregorium de injuria sibi illata conquæreretur, idem Pontifex Legatum missit Joannem, qui cognita causa sententiam ferret: is qua par erat æquitate, adhibita diligenti discussione Januarium (de Stephano nil profertur) innocentem judicavit, suæ sedi restituit eum, quem Januarii loco suffecerant, damnavit, simulque cum Episcopis in Monasterium inclusit. Hujus historiæ occasione non desunt Viri alioqui docti, qui predictos Januarium, & Stephanum ab Episcopis Bœticæ nostræ judicatos, deturbatosque arbitrantur; sed nos haud cum illis consentire possumus, neque hanc obscuram actionem Sanctissimis Viris Leandro, vel Isi-

doro nostris Hipalensibus , qui tunc temporis inter  
nostrates Præsules & Sanctitate, & litteris emicabant,  
impingere quoquomodo patimur , ut consequens  
videtur, si depositio præfata apud Boeticos instructa  
credatur. Ergo dicendum Januarium , & Stephanum  
ab alterius Provinciæ , quam à Boeticæ  
Episcopis judicatos fuisse.

O. S. C. S. R. E.

















G-E 1310

